



# Danskernes Historie Online

Danske Slægtsforskeres Bibliotek

## Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

### Støt vores arbejde – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

### Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

### Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

# AD ANNIVERSARIUM TENTAMEN

IN SCHOLA ROESKILDENSI CATHEDRALI

SEPTEMBRI MENSE A. MDCCCXXVII PUBLICE INSTITUENDUM,

PROLUSIT RECTOR SCHOLAE

S. N. J. BLOCH,

DOCTOR PHILOSOPHIAE, PROFESSOR, DANNEBROGICI ORDINIS EQVES AURATUS.

---

*SPURIA NONNULLA IN ORATIONIBUS CICERONIS EX INDICIIS INTERNIS ARGUUNTUR.  
ACCEDIT COROLLARIUM DE LACUNA IN OR. PRO SEXTO ROSCIO AM. C. XLV.*

---

HAFNIÆ.

TYPIS EXCEDEBAT ANDREAS SEIDELIN,

AULÆ REGIÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

*Heimst. Dion. Hill.*

---

Qvanquam nec inscius sum nec inficias eo, ad saniores leges tempore nostro criticam artem rediisse, quæ in edendis ad genuinamque formam redigendis veterum operibus, conjectandi licentiæ pertæsa, primam fidem libris mss. habendam existimet: idem tamen haud paucos mihi videor in antiqvis scriptoribus offendere locos, in quibus injuria fieri immortalium illorum hominum ingenio et acumini videatur, nisi, vel contra codicum auctoritatem, ex recte sentiendi scribendique legibus ipsorumque scriptorum dicendi genere, quæcunqve glossatorum librariorumque interpretamentis et erroribus debeantur, subtiliter & acute secernamus. Cujus generis quum in plerisque Romanarum literarum monumentis, tum in Ciceronianis præsertim orationibus non mirum est multa occurrere, quum non solitam modo his passim explicandis glossatores operam impenderit; verum ex iisdem oratoriis exercitationibus declamationibusque conficiendis petita nonnunquam argumenta \*), et, quo tempore libri antiquiorum transcriberentur, tironum aut grammaticorum, vetera imitantium, specimina eis qualicunqve ratione aut subjecta aut inserta fuisse videantur. Quod quum in totis jamdudum, quæ Ciceronis se nomine tuentur, orationibus usu venisse, singulari judicii subtilitate atque eruditione demonstrarint viri sagacissimi Marklandus Wolfiusque \*\*): quidni in singulis

---

\*) Quid enim aptius esset, quam tironibus, vel quæ post reditum ad senatum populumque, de domoque recipienda & haruspicum responsis, vel ad gratias pro Marcelli restitutione Cæsari agendas, Cicero dicere potuisset, declamationibus effingenda proponere?

\*\*) Remarks on the epistles of Cicero to Brutus, and of Brutus to Cicero (quarum νοθελαν evincere jam ante conatus fuerat Tunstallus, Cantabr. 1741). With a dissertation upon Four Orationes ascribed to M. Tullius Cicero. by Jer. Markland. London 1745. & M. Tulli Ciceronis quæ vulgo feruntur orationes quatuor I. post. red. in Senatu, II. ad Qvirites p. red. III. pro domo sua ad pontif. IV. De harusp. responsis. Recognovit, animadvss. Marklandi & Gesneri suasque adjecit F. A. Wolfius Berol. 1801; ut prætermittamus lites de oratione Marcelliana satis notas. cf. C. G. Schützii in M. T. Ciceronis quæ vulgo feruntur orationes prolegomena (in ed. operum Ciceronis Tom. VIII Parte III).

etiam partibus ex internis criteriis, quid spurium sit atque interpolatum, licebit colligere? et si qua sint aut putide dicta, aut inepte repetita, aut institutum orationis ordinem turbantia, aut ne satis quidem latina atque adeo ex aliis Ciceronis locis aperte consarcinata, ea, utpote optimo oratore indigna, aut declamatorum periculis, aut glossatorum interpretandi studio, istaque temere recipientium librariorum oscitantiae absque ulla dubitatione tribuere? Quid nisi recte fiat, restat modo, ut ad excusationes confugiamus, aut veniam petentes scriptori interdum dormitanti, quum "operi longo fas sit obrepere somnum", aut consulto adeo ab eo hæc adjecta statuentes, quo, quæ dicta jam essent, audientibus magis perspicua fierent. Hæc enim et alia hujuscemodi afferri sæpius ab iis audio, qui in textu vulgato religiosius manendum existimant, mutare vetantes, quæ semel ex codicum fide dederint primariæ editiones. Quid igitur est? Minorisne existimare conveniet præclarissimi scriptoris ingenium artemque, an librorum toties corruptorum auctoritatem? verasne bene dicendi leges, quarum quam emendatissima ille nunquam non exhibet exempla, an additamenta, quæ, si ad scriptorem ipsam referuntur, venia egent et excusatione?

In quibus autem ut pateat, num rectam nos, necne, viam simus ingressi, qui ab istiusmodi maculis purgandas passim orationes Ciceronianas arbitremur: sub censuram aliquot locos vocemus, quæ ad eam nos opinionem præcipue adduxerunt; in quibusque ita manifesta est interpolatio, ut quæcunque ejusmodi sint, ea, vel invitis omnibus codicibus, loco, quem satis diu immerito tenuerunt, summo jure movenda esse videantur. Hujus itaque generis sunt:

## IN ORATIONE PRO SEXTO ROSCIO AMERINO,

Cap. 39, locus, quo post illa: "*In minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo judicio condemnetur, necesse est*", legitur: "*in re tanta, quum is, cui fama mortui, fortunæ vivi commendatæ sunt atque concreditæ, ignominia mortuum, egestate vivum adfecerit, is inter honestos homines atque adeo inter vivos numerabitur? In minimis privatisque rebus etiam negligentia in crimen mandati iudicii que infamiam revocatur, propterea quod, si ratione fiat, illum negligere oporteat, qui mandat, non illum, qui mandatum receperit*".

Turbata h. l. non pauca sunt, neque illis solummodo verbis, "egestate vivum", quæ e cod. quodam optime protulit Garatonius, in integrum restituta omnia videntur. Reliqua sunt alia multa, quæ dubitationem afferunt: primum, quod in ceteris etiam magna est lectionis varietas, in glossematibus præsertim frequenter obvia; tum, quod in antithetis loci "quum is, cui — atque adeo inter vivos numerabitur?" quæsitæ quædam & affectata se prodit elegantia; neque satis commode dictum videtur "quum is, cui —, ignominia m. adfecerit, is inter honestos h. numerabitur?" deinde quod omnino desideratur concinnitas Tulliana in oppositione membrorum "in minimis rebus, qui mandatum neglexerit etc." et "in re tanta quum is — adfecerit, is — numerabitur?" neque melius altero loco sibi respondent "negligentia" & "qui non negligentia — læserit, sed perfidia — affecerit"; quum vero, ejectis, quæ medium tenent locum, recte invicem opponantur "in min. reb. qui mandatum neglexerit," "in re tanta, qui non negligentia — læserit, sed perfidia — polluerit"; ut nihil de miris ineptiis dicamus, quod, qui ignominia mortuum & egestate vivum adfecerit, inter vivos non sit numerandus. Inepta præterea ac stolidæ observatio videtur, "propterea quod, si ratione fiat, illum negligere oporteat, qui mandarit, non illum, qui mandatum receperit". Quis enim est, qui aut dubitet, licere ei, qui mandatum dederit, illud negligere; aut, si, præeunte Lambino, negligere rem explicemus, eam nihil curare, contendat, oportere rem ab eo negligi, qui commiserit; aut, si vel recte hæc se habent, in iis causam quærat, cur "negligentia in crimen mandati iudicii quæ infamiam revocetur"? Accedit denique verbosior illa ejusdem sententiæ iteratio, & quidem his oppositis sibi iisdem verbis *in minimis rebus, in tanta re*, additaque alteri horum satis putida interpretatione, prorsus ut in glossematis fieri solet. Hæc itaque omnia me addaxerunt, ut non modo inepta ista "propterea quod, si ratione fiat — qui mandatum receperit", sed totum locum supra allatum, in quo præterea omnes istæ difficultates reperiuntur, grammatici cujusdam ingenio deberi existimem, qui Ciceronianis sua admiscuerit. His enim succisis, non modo nihil desideramus, quod ad vim pertineat orationis, sed cetera etiam Ciceronis more optime et concinne sic procedunt: "*In minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo iudicio condemnentur, necesse est: in re tanta, quæ publice gesta atque commissa sit, qui non negligentia privatam aliquod commodum læserit, sed perfidia legationis ipsius cærimoniam polluerit maculataque affecerit,*

---

*nosque ab isto nebulone facilius eludimur, quam putamus; aut, si redierunt, tabulæ publicæ corruptæ aliqua ratione sunt. Nam lege quidem bona venire non potuisse, constat." Quo nihil ad rem demonstrandam clarius potuit cogitari, nec alio igitur ullo opus erat argumento. Quare dicendum est, aut, Ciceronem, mutato*

*qua is tandem poena afficietur aut quo iudicio damnabitur?"* Quibus deinde adjecta in margine cetera videntur, ad prius membrum: "*in minimis privatisque rebus etiam negligentia mandati &c.*" ad posterius: "*in re tanta, quum is, cui fama mortui, fortunæ vivi &c.*" (quæ verba præterea e cap. 9 petita videntur), sed inverso posthæc ordine ab alio in textum translata.

consilio, hæc statim addidisse, quæ aliquanto postea dicturus fuerat; aut per vocabulum *postea* non semper designari remotum aliquod tempus, sed interdum etiam aliquid, quod mox subsequatur, eodem sensu, quo utimur particularis *deinceps* vel *deinde* v. c. in interrogatione *quid postea?* pro: quid deinde? quid tum? — Et hæc quidem hactenus. Quæ vero si cui se nondum satis probaverint, ablegatum hunc ad ea velimus, quæ in Bibliotheca critica Seebodiana l. l. hac de re copiosius disputavimus.

## IN ORATIONE PRO LEGE MANILIA.

Cap. 5. "*Illi libertatem civium Rom. imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi persecuti sunt; vos legatum, omni supplicio interfectum relinquetis?"*

Hæc mihi otiosa esse amplificatio videtur eorum, quæ proxime præcedunt, "Legati quod erant appellati superbius &c." & Grammatici ingenium redolere, a quo adnotata in textum post irreperit. Primum enim numero orationis adversantur, nec est quod, quum priori membro "Majores vestri sæpe &c." nihil adjiciatur, alterum tanta orationis copia ab eo dilatatum putemus. Quibus autem omissis, optime sibi allata duo exempla respondent: 1. "Majores vestri sæpe, mercatoribus a. n. injuriose tractatis, bella gesserunt: vos tot civium millibus — necatis, quo tandem animo esse debetis". & 2. "Legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri — extinctam esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiimini, qui legatum P. R. — necavit." Molesta itaque jam sunt, quæ alteri exemplo verbosius adduntur, explicationem continentia rei per se satis claræ. Quid vero, quod et alia occurrunt, in quibus vitii quid latere videatur, Cicerone parum digni? Neque enim de *imminuta civium Rom. libertate* in præcedenti exemplo, cui tamen explicando ut inserviant adjecta hæc esse apparet, quidquam Cicero egit, sed tantummodo de legatis Corinthi superbius appellatis; neque sibi satis commode opponuntur "jus legationis persequi" & "legatum relinquare", quum utroque in loco de legatis et violato jure legationis agatur, et eo tantum differant opposita, quod minor altera injuria fuerit, altera violentior. Denique, ut nihil dicamus de difficultate vocabuli *relinquetis*, cui sive adjicimus *inultum*, dissonant concurrentia "legatum o. s. interfectum inultum relinquetis";

Turbata h. l. non pauca sunt, neque illis solummodo verbis, "*egestate vivum*", quæ e cod. quodam optime protulit Garatonius, in integrum restituta omnia videntur. Reliqua sunt alia multa, quæ dubitationem afferunt: primum, quod in ceteris etiam magna est lectionis varietas, in glossematibus præsertim frequenter obvia; tum, quod in antithetis loci "*quum is, cui — atque adeo inter vivos numerabitur?*" quæsitæ quædam & affectata se prodit elegantia; neque satis commode dictum videtur "*quum is, cui —, ignominia m. adfecerit, is inter honestos h. numerabitur?*" deinde quod omnino desideratur concinnitas Tulliana in oppositione membrorum "*in minimis rebus, qui mandatum neglexerit etc.*" et "*in re tanta quum is — adfecerit, is — numerabitur?*" neque melius altero loco sibi respondent "*negligentia*" & "*qui non negligentia — læserit, sed perfidia — affecerit*"; quum vero, ejectis, quæ medium tenent locum, recte invicem opponantur "*in min. reb. qui mandatum neglexerit,*" "*in re tanta, qui non negligentia — læserit, sed perfidia — polluerit*"; ut nihil de miris ineptiis dicamus, quod, qui ignominia mortuum & egestate vivum adfecerit, *inter vivos* non sit numerandus. Inepta præterea ac stolidæ observatio videtur, "*propterea quod, si ratione fiat, illum negligere oporteat, qui mandarit, non illum, qui mandatum receperit*". Quis enim est, qui aut dubitet, licere ei, qui mandatum dederit, illud negligere; aut, si, præeunte Lambino, *negligere rem* explicemus, eam nihil curare, contendat, *oportere* rem ab eo negligi, qui commiserit; aut, si vel recte hæc se habent, in iis causam quærat, cur "*negligentia in crimen mandati judicijque infamiam revocetur*"? Accedit denique verbosior illa ejusdem sententiæ iteratio, & quidem bis oppositis sibi iisdem verbis *in minimis rebus, in tanta re*, additaque alteri horum satis putida interpretatione, prorsus ut in glossematis fieri solet. Hæc itaque omnia me adduxerunt, ut non modo inepta ista "*propterea quod, si ratione fiat — qui mandatum receperit*", sed totum locum supra allatum, in quo præterea omnes istæ difficultates reperiuntur, grammatici cujusdam ingenio deberi existimem, qui Ciceronianis sua admiscuerit. His enim succisis, non modo nihil desideramus, quod ad vim pertineat orationis, sed cetera etiam Ciceronis more optime et concinne sic procedunt: "*In minimis rebus, qui mandatum neglexerit, turpissimo judicio condemnetur, necesse est: in re tanta, quæ publice gesta atque commissa sit, qui non negligentia privatum aliquod commodum læserit, sed perfidia legationis ipsius cærimoniam polluerit maculaque affecerit,*

qva is tandem poena afficietur aut quo iudicio damnabitur?" Quibus deinde adjecta in margine cetera videntur, ad prius membrum: "in minimis privatisque rebus etiam negligentia mandati &c." ad posterius: "in re tanta, quum is, cui fama mortui, fortunæ vivi &c." (qvæ verba præterea e cap. 9 petita videntur), sed inverso posthæc ordine ab alio in textum translata.

### Corollarium de lacuna Cap. 45.

Ad supplenda, qvæ h. l. manifeste desunt, pauca suppeditat anonymus vetustus interpres, cujus notæ in hanc orationem & aliquot aliæ e schedis Vossianis primum editæ sunt ab Jac. Grönovio in ed. operum Ciceronis, deinde a Gravio & Schützio (Cic. opp. Tom. IV) repetitæ, in quibus ex loco deperdito afferuntur nonnulla, unde patet, præsto fuisse Grammatico illi codicem, in quo integer adhuc locus fuerit. Qvæ autem afferuntur, hæc sunt:

"*In vico Pallacrine*": locus, ubi cenaverat Roscius.

"*Maxime metu ut (metuit?) Sullam scilicet*": deribat (sic!) tamen. Et ait "se", id est, suspicionem suam in alium deducit. Hoc enim dicebat Chrysogonus: non qvia timui, ne mihi tollerentur bona Roscii, ideo ejus prædia dissipavi. Sed qvia ædificabam, in Vejentanam ideo de his transtuli.

"*Manu prædia prædiis*": Prædiis occasione; quemadmodum dicimus: fac ad manum illum codicem.

"*Hic ego audire istos cupio*": In hoc capite de potentia Chrysogono invidiam facit, ut enumeret singula deliciarum genera, quod habeat plures possessiones, mancipia, qvæ omnia dicit de rapinis ipsum habere. —

Qvæ omnia qvanquam ad restituendum absque aliorum præsidiorum ope locum parum aut nihil faciunt, atque adeo ad sensum aliquem, inde efficiendum Oedipo opus est conjectore: indicant tamen paucitate sua, non multa esse, qvæ h. l. desiderentur. Neque magis in eis vestigium exstat ullum, excidisse, quod, Heusingero autore, confidenter editores contendunt, h. l. "totam argumentationem, qva neque venire Sex. Roscii bona potuisse neque venisse Cicero docuerit". Qvam opinionem quum falsam omnino esse demonstraverimus in "Neue kritische Bibliothek für das Schul- und Un-



terrichtswesen, herausgeg. von G. Seebode, Hildesheim 1824, No. 3, succincte tantum h. l. proferemus, unde confirmari hæc nostra sententia potissimum videatur.

Nititur, ni fallor, ista Heusingeri opinio eo, quod paullo ante (cap. 44) dixit auctor: "deniqve etiam illud suspicor, omnino hæc bona non venisse, *id quod postea*, si per vos, iudices, licitum erit, *aperietur*". Fefellit nimirum viros doctos vocabulum *postea*, quo adducti, quum non statim, sed aliquanto post quærendam putarent illam argumentationem, at nullibi obviam, opinati sunt, eam e cap. 45, quum in hoc esset lacuna, excidisse. Sed repugnat huic opinioni tota series orationis et nexus loci, in quo apparet lacuna. Ante eam enim, quæstione illa de bonis vendendis jamjam plane absoluta, in extremo cap. 44. ad ultimam orationis suæ partem his verbis Cicero erat progressus: "verum quæso a vobis, iudices, ut hæc pauca, quæ restant, ita audiatis, ut *partim me pro me ipso dicere putetis*" (in quo igitur nullus omnino erat de bonorum venditione disputandi locus; at hic tamen incidit lacuna, cujus argumentum hoc fuisse contendunt!) "*partim pro Sex. Roscio*" (in qua etiam sectione nec aliquid excidisse videtur, nec contextus ipse patitur, inseri allo loco istam argumentationem). Quid? quod & argumentum eorum, quæ in cap. 44 desiderantur, paulo ante his verbis clare admodum indicatur: "ex iis, *quæ nunc maxime fiunt*, nonne quivis potest intelligere, omnium architectum & machinatorem esse Chrysogonum"; quibuscum etiam consentiunt, quæ nuper ab antiquo Scholiasta annotata adduximus: "In hoc capite de potentia Chrysogono invidiam facit &c." In quibus itaque quis unquam locus erat demonstrandi, non venisse Sex. Roscii bona?

Quæ vero quum ita sint, quæritur, num igitur consilii immemor, ea plane omiserit orator, quæ se cap. 44 demonstraturum *postea* promiserat, "omnino hæc bona non venisse"? Minime vero. Nam sequuntur ea statim eodem cap. 44, et his quidem verbis: "*Opinor enim esse in lege, quam ad diem proscriptiones venditionesque fiant: nimirum Kalendas Junias. Aliquot post menses et homo occisus est & bona venisse dicuntur. Profecto aut hæc bona in tabulas publicas nulla redierunt, nosque ab isto nebulone facilius eludimur, quam putamus; aut, si redierunt, tabulæ publicæ corruptæ aliqua ratione sunt. Nam lege quidem bona venire non potuisse, constat.*" Quo nihil ad rem demonstrandam clarius potuit cogitari, nec alio igitur ullo opus erat argumento. Quare dicendum est, aut, Ciceronem, mutato

consilio, hæc statim addidisse, quæ aliquanto postea dicturus fuerat; aut per vocabulum *postea* non semper designari remotum aliquod tempus, sed interdum etiam aliquid, quod mox subsequatur, eodem sensu, quo utimur particulis *deinceps* vel *deinde* v. c. in interrogatione *quid postea?* pro: quid deinde? quid tum? — Et hæc quidem hactenus. Quæ vero si cui se nondum satis probaverint, ablegatum hunc ad ea velimus, quæ in Bibliotheca critica Seebodiana I. I. hac de re copiosius disputavimus.

## IN ORATIONE PRO LEGE MANILIA.

Cap. 5. *"Illi libertatem civium Rom. imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi persecuti sunt; vos legatum, omni supplicio interfectum relinquetis?"*

Hæc mihi otiosa esse amplificatio videtur eorum, quæ proxime præcedunt, "Legati quod erant appellati superbius &c." & Grammatici ingenium redolere, a quo adnotata in textum post irrepserit. Primum enim numero orationis adversantur, nec est quod, quum priori membro "Majores vestri sæpe &c." nihil adjiciatur, alterum tanta orationis copia ab eo dilatatum putemus. Quibus autem omissis, optime sibi allata duo exempla respondent: 1. "Majores vestri sæpe, mercatoribus a. n. injuriose tractatis, bella gesserunt: vos tot civium millibus — necatis, quo tandem animo esse debetis". & 2. "Legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri — extinctam esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemini, qui legatum P. R. — necavit." Molesta itaque jam sunt, quæ alteri exemplo verbosius adduntur, explicationem continentia rei per se satis claræ. Quid vero, quod et alia occurrunt, in quibus vitii quid latere videatur, Cicerone parum digni? Neque enim de *imminuta civium Rom. libertate* in præcedenti exemplo, cui tamen explicando ut inserviant adjuncta hæc esse apparet, quidquam Cicero egit, sed tantummodo de legatis Corinthi superbius appellatis; neque sibi satis commode opponuntur "jus legationis persequi" & "legatum relinquare", quum utroque in loco de legatis et violato jure legationis agatur, et eo tantum differant opposita, quod minor altera injuria fuerit, altera violentior. Denique, ut nihil dicamus de difficultate vocabuli *relinquetis*, cui sive adjicimus *inultum*, dissonant concurrentia "legatum o. s. interfectum inultum relinquetis";

sive omittitur, inusitatum est simplex *relinquetis* pro: non curabitis: ipsa codicum varietas corruptelam indicat hujus loci.

C. 10. — — — "*mistum ex civitatibus atqve ex bellicosissimis nationibus*"

Miror quod verba, quæ haud levem præ se ferunt *voðelas* speciem, ita se probare editoribus ad hoc usque tempus potuerint, ut ea vel reliquerint intacta, vel satis habuerint utcunqve explicare. Mihi quidem jampridem fuerunt suspecta & has quidem ob causas. Primum offendit, quod uni tantum bellorum omnium, quæ commemorantur, eidemque ne ultimo quidem illorum, eiusmodi quid additur, quod non numero solum oratorio adversatur, quum cetera bella, et ante et post Hispaniense, nudo nomine indicentur, sed in quo parum omnino causæ est, cur hoc loco præcipue notetur, quum tota vis argumenti in eo versetur, quod statim subsequitur, "*varia et diversa genera et bellorum & hostium esse, quæ declarent, nullam rem esse, in usu positam, quæ Pompeji scientiam fugere possit*". — Deinde ut ipsa verba exploremus, quid, quæso, est "*bellum ex civ. et nat. mistum?*" Num forte, in quo pugnat exercitus ex utroque genere mixtus? at quæ tandem est illa metonymia belli pro exercitu bellante? neque arbitror dicturum Ciceronem fuisse, *mistum ex . . et ex . .*, repetita præpositione. Tum quæ aures, adsvetæ concinnitati Tullianæ, opposita sibi invicem ferent vel Ciceronem scripsisse credent: "*ex civitatibus (absqve epitheto) et ex bellicosissimis nationibus?* Saltem debuit esse: ex civitatibus ac nationibus bellicosissimis, ut ad utrumque pertineret adiectum. Nam quod in Or. pro Fontejo c. 2. Gallia provincia dicitur constare "*ex hominibus & civitatibus, qui cum P. R. acerba ac diuturna bella gesserunt*", hoc alia ratione dicitur, neque ista genera sibi invicem opponuntur; ne urgeamus difficultatem ipsam vocabuli "*civitatibus*", quod certe non, nisi dure admodum, ex opposito "*bellic. nationibus*" explicatur de populis rite constitutam rem publicam habentibus; et in quo ipso ne satis quidem appareat, cur difficiliter hæc res bellum reddiderit. Neque omnino tolluntur difficultates, si, Grævio autore, corrigamus *civibus*, quod ita absolute dici non potuit.

Existimat quidem Fogtmannus, V. D. quicum sententiam de hoc & aliis locis communicavi, *civitates* urbes esse, quæ, Romano more institutæ, a Romanis defecissent, atque igitur arte & ratione bellarent; *bellicosas vero nationes*, feras et indo-

mitas gentes, sine arte audacter et acriter bellantes. Sed vel sic vereor, ne vocabulum nude Cicero non adhibuisset et absq̄ue epitheto, quod responderet τῶ̄ bellicosissimis. Quare ex glossatoris equadem ingenio hæc profecta putaverim, quæ certe, si abfuerint, nemo facile desiderabit.

Sed venio nunc ad graviora, quæque, si retinentur, insigni macula afficere videntur ac turbare nobilissimam illam orationem; verba nimirum

C. 22—23: "*Atque in hoc bello Asiatico & regio non solum militaris illa virtus, quæ est in Cn. Pompejo singularis, sed aliæ quoque virtutes animi multæ et magnæ requiruntur. Difficile est, in Asia, Cilicia, Syria, regnisque interiorum nationum ita versari vestrum imperatorem, ut nihil aliud, quam de hoste ac de laude cogitet; deinde etiam si qui sunt pudore ac temperantia moderatiores, tamen eos esse tales, propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur. Difficile est dictu, Qvirites, quanto in odio simus apud exterarum nationes propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, injurias ac libidines. Quod enim sanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam ac munitam fuisse? Urbes jam locupletes ac copiosæ requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. Libenter hæc coram cum Q. Catulo et Q. Hortensio disputarem, summis et clarissimis viris: noverunt enim sociorum vulnera, vident eorum calamitates, querimonias audiunt. Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione contra socios atque amicos? quæ civitas est in Asia, quæ non modo imperatoris aut legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit? Quare, etiam si quem habetis, qui, collatis signis, exercitus regios superare posse videatur: tamen, nisi erit idem, qui se a pecuniis sociorum, qui ab eorum conjugibus et liberis, qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum, qui ab auro gazaque regia manus, oculos, animum cohibere possit: non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum regiumque mittatur. Ecquam putatis civitatem pacatam fuisse, quæ locuples sit? ecquam esse locupletem, quæ istis pacata esse videatur? Ora maritima, Qvirites, Cn. Pompejum non solum propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continentiam requisivit: videbat enim populum Rom. non locupletari quotannis pecunia publica, præter paucos:*

*neque nos quidquam aliud assequi classium nomine, nisi ut, detrimentis accipien-  
dis majore affici turpitudine videremur. Nunc qua cupiditate homines in pro-  
vincias, quibus jacturis, quibus conditionibus proficiscantur, ignorant videlicet  
isti, qui ad unum deferenda esse omnia non arbitrantur? quasi vero Cn. Pompe-  
jum non quum suis virtutibus, tum etiam alienis vitiis magnum esse videamus.  
Quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, qui inter tot annos unus  
inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant.*

Totus hicce locus, quem, Ursino teste, Pantagathus jam putabat "additamentum esse, et ineptum quidem, ex aliqua declamatione omnino præter ordinem orationis ac distributionis", in Victoriana etiam editione duobus semicirculis est inclusus. Quod quum nuper in editione Orelliana annotatum viderem, nonnihil confirmationis accessisse lætabar suspicioni & mihi jamdudum, ac nullo quidem auctore, obortæ: spuria nimirum hæc esse, a declamatore quodam ex variis hujus ipsius orationis sententiis formulisque dicendi Ciceronianis utcumque contexta, atque ab ipso autore vel alio quodam deinde orationi inserta. Quod ita esse facile patebit inspicienti

1) *consilium oratoris ac materiæ dispositionem.* Bipartitam enim quum fecerit orationem Cicero atque in priori parte de genere egerit ac magnitudine belli et necessitate Pompejo illud committendi: - his extremo cap. 16to omnino absolutis, in altera deinde a cap. 17mo objectiones adversariorum sibi sunit refutandas, in quibus igitur incommodum plane fuisset et a consilio oratoris alienum, de eo, quod jam erat evidentissime demonstratum, denuo disputare atque ostendere, propter temperantiam ipsius bellum esse Pompejo committendum; præsertim quum non inepto tantum loco ac sine idonea causa ista revocentur, sed

2) *ne novum quidem ullum præterea afferatur argumentum,* verum aliis modo verbis repetantur, quæ jam supra suis locis de imperatorum atque exercituum intemperantia questus erat orator; id quod cum maxime glossatorem arguit vel declamatorem, qui ex Ciceronianis sua composuerit. Quid enim? Putandumne est, optimum oratorem, idque in oratione ad populum habita, cui clarissime erant omnia demonstranda, quamque orationem (ut patet ex c. 1.) primam omnium pro Rostris Cicero habuit summoque studio et cura præmeditatus fuerat, sic negligenter versari, ut quæ paullo ante et suo loco et aptissimis verbis dixisset, hæc nunc & turbato rerum, de

quibus dicendum erat, ordine, et oratione, ut mox videbimus, minus commoda repetiturus fuisset? Nam

ut 3) *singula excutiamus fontemque, unde hausta sint quaelibet illorum, indicemus*: primum verba, unde orditur additamentum nobis suspectum: "*Atque in hoc bello A. & r. non solum militaris illa virtus, quæ est in Cn. Pompejo singularis, sed aliæ quoque virtutes animi multæ & magnæ requiruntur*", nata videntur ex capp. 11—13, in quibus hæc res copiose pertractatur, & quidem inenunte c. 13, his diserte verbis: "Non enim solum bellandi virtus in summo atque perfecto imperatore quærenda est, sed multæ sunt artes eximiæ, hujus administræ comitesque virtutis;" quæ igitur otiose omnino h. l. repetuntur. Neque vero hoc tantum, sed quum de "aliis quoque virtutibus animi multis & magnis", quæ præter militarem in imperatore requirantur, dicturum se pollicitus sit, frustra tamen hanc excitavit expectationem, ac de sola temperantia Pompeji declamitantem hominem audimus. Quanto autem aliter c. 13 fidem exsolvit orator, qui, quas commemoravit virtutes, has etiam omnes quam iuculentissime deinde persequitur. Quæ sequuntur, "*Difficile est, in Asia, Ciliicia*" &c. quum fundum omnino habent in c. 14to, tum præsertim verba: "*deinde etiam si qui sunt pudore ac temperantia moderatiores, tamen eos esse tales... nemo arbitratur*", non modo originem trahere ex loco c. 4 videntur: "nunc denique incipiunt credere, fuisse homines Rom. hac quondam abstinentia, quod jam nationibus exteris incredibile videbatur"; verum etiam parum acute sunt cogitata & a consilio auctoris h. l. aliena, quum causa, cur ad bellum mittendus esset Pompejus (id quod h. l. spectatur), non in eo posita sit, quod socii propter multitudinem cupidorum hominum neminem non talem esse arbitrarentur, atque igitur ne Pompejum ipsum hoc numero exciperent: sed in eo, quod hanc sociorum opinionem tollere adventu suo Pompejus posset. Præterea, ut ad cetera progrediamur, et verba "*Difficile est dictu, Qvirites, quanto in odio simus apud exterarum nationes*" &c. et commemorationem *fanorum*, quæ magistratibus Rom. haud religiosa fuerint, suggestisse scriptori videtur locus c. 9 de odio, quo flagrabant apud gentes barbaras Romani, præsertim quum "fani religiosissimi diripiendi causa" venisse in eas oras putarentur; itemque c. 13: "itaque, propter hanc avaritiam imperatorum, quantas calamitates, quocumque ventum sit, nostri exercitus ferant, quis ignorat?" cujus loci amplificationem declamatoris esse facile

patet, quæ hîc sequuntur de injuriis ac libidinibus imperatorum Rom. Atque manifestius adeo verba "*pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione contra socios atque amicos*", expressa sunt ex verbis c. 13: "utrum plures arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostium urbes, an hibernis sociorum civitates esse deletas?" vel forte etiam ex c. 5 extr. "ejusmodi in provinciam homines cum imperio mittimus, ut, etiamsi ab hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant." Ut nihil de hyperbole dicamus, omnem fidem excedente, quod nulla civitas tam opulenta esse dicatur, quæ vel *unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit.*" Quid? quod sequente mox conclusione: "*Qvare, etiam si quem habetis, qui collatis signis &c.*" non tamen cessat, ut expectandum erat, declamatio, sed his iterum verbis inquit: "*ecquam putatis civitatem &c.*" donec altera tandem conclusione ita finitur: "*qvare nolite dubitare &c.*" in qua perturbatione quis est, qui Ciceronem agnoscat? Neque minus offendit, quod rursus ad *cupiditates, jacturas & conditiones, quibus in provincias homines proficiscantur*, oratio recurrit, inepte petita ex c. 13, ubi idonea profecto de iis, qui propter cupiditatem provinciæ magistratibus pecuniam divisissent, dicendi causa aderat, quum vero ad refellendas Hortensii & Catuli objectiones, de quibus dicere hujus loci erat, nihil omnino illa pertinerent. Ac denique hæc ultima: "*qui unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant*", nonne manifesto orta se produnt ex ultimis illis c. 5: "ut ii beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissime commoretur"? In quibus itaque omnibus quid habes aliud, nisi recoctas ex superioribus atque aliis tantum verbis expressas sententias? quid, nisi unum illum atque jam c. 13 satis luculenter tractatum locum de temperantia Pompeji declamatorio more amplificatum ac ne uno quidem novo auctum argumento? ut maxima sit suspicio, rhetoris cujusdam ingenio hæc deberi, qui, quum in hac Ciceronis imitatione sibi mirifice placeret atque in eo loco, de quo ille c. 13mo brevius dixisset, largam eos, qui legi Maniliæ adversarentur, refellendi materiam invenisse sibi videretur, hæc margini libri sui adscripserit, unde facile factu fuit, ut, quum speciem aliquam Ciceronianæ latinitatis præ se ferrent, in textum posthæc migrare possent. Quæ si cui audacius contendisse videamur, ostendat ille mihi vel unicum istiusmodi, quod quidem ab ipso Cicerone profectum sit, loqvacitatis exemplum.

Accedit 4) quod, tametsi nec parum latine nec sine eleganti passim Ciceronis imitatione conscripta hæc sunt, nonnulla tamen in illis occurrunt, quæ aut affectatione quadam aut negligentia dictionis a Latinitate summi oratoris abhorrere videantur. Ita quum exstat: "*si qui sunt pudore ac temperantia moderatiores*", e quidem certe non memini me legere "*temperantia moderatum*" quomquam dici. Deinde quum bis ita incipit oratio: "*difficile est in Asia &c. ita versari imperatorem vestrum &c.*", ac statim deinde "*difficile est dictu, quanto in odio simus &c.*" offendit non modo repetita eadem enuntiationis incipiendæ formula, verum etiam, quod diverso sensu adhibetur, quum priori loco valeat i. q. "*raro accedit, s. haud facile fieri potest, ut &c.*" quod certe parum est usitatum. Porro: "*urbes requiruntur, quibus causa belli infertur*" pro: quibus bellum aliquo prætextu inferatur; "*libenter disputarem*" pro: disputare libuit; & c. 23. "*nisi erit idem, qui &c.*" pro: "*nisi idem is erit, qui &c.*" Tum durior prosopœia, per quam "*ora maritima*" dicitur non modo *requisivisse* Pompejum, verum etiam *vidisse* pop. Rom. non locupletari &c. in quo præterea (ut mittamus mirum illud ac sæpius vexatum "*non locupletari populum R. præter paucos*") rogari potuit, tum quomodo videre posset ora maritima h. e. homines eam incolentes, qua ratione Romæ pecunia publica administraretur, quique ea quotannis locupletarentur; tum cur Pompejum imprimis ora maritima, nec potius universa provincia requireret. Nam si, ut altero loco commemoratur, Pompejum socii requisiverunt, quod viderent, Romanos "*nihil aliud assequi classium nomine, nisi ut detrimentis accipiendis, majore affici turpitudine viderentur*": pertinere hæc quidem potuerunt ad bellum navale: quomodo vero ad regium illud, in quo sæpius maritimis proeliis vicebant Romani, e quidem fateor me haud intelligere. Sed fac etiam, quanquam durum sane hoc esset, per oram maritimam designari Asiam universam, eamque cum indignatione vidisse, *publica pecunia* (sive ea est, quæ classibus impendenda sit, sive quæ ex provinciis redigatur) paucos esse locupletatos: non tamen satis idonea causa affertur, cur Pompejum imperatorem in bello hoc regio requireret. Quum enim "*propter animi continentiam*" requisivisse eam incolæ hujus oræ dicantur, hoc ideo certe cupiisse putandi sunt, ne injuria ipsi ab imperatore premerentur, non quod populum Romanum viderent fraudari pecunia publica aut detrimentis ac turpitudine affici, cui certe non tam bene cupiebant, ut hujus, non sua causa aliquem expeterent imperatorem; neque



in cap. 13 aliud quid in causa est, cur tantopere laudetur temperantia Pompeji, quam quod propter avaritiam imperatorum maximas calamitates, quocumque ventum sit, exercitus Romani ferant, minime vero quod commodis populi Rom. consulendum a se putaverint; id quod æque ridiculum esset, ac si Græci nostro tempore tributum Osmannis pendentes, dolere vellent, quod pecunia sibi expressa non in ærarium imperatoris Turcici, sed ad paucos Turcarum nobiles perveniret. Opinor, dicturos eos fuisse cum Asino in fabulis: Perinde est, cui serviam, clitellas dum portem meas. Quid multa? turbatior ad sententiam haud facile ullus inveniri locus potest, nec ulla, quam codices afferunt, medicina sanandus. \*) Mihi vero, quum etiam reliqua accedant, quæ jam notavimus, omnium maxime videtur interpolatoris, doctrinam suam ostentare cupientis, calamo deberi.

Præter hæc 5) ut incommodus omnino locus est, quo præter expectationem argumentatio contra Hortensium Catulumque interpelletur, ita denique conclusio, qua iterata hæc de bello ad Pompejum deferendo demonstratio finitur, "*Qvare nolite dubitare, qvin huic uni credatis* (quod vocabulum præterea magis convenit populo Romano, quam, quos hoc loco orator alloquitur, Hortensio Catuloque), *omnia, qui inter annos tot unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant*", plane indicat, oratorem, si hæc ab ipso sint profecta, a consilio suo omnino aberrasse, qui, quum sibi *autoritates* virorum clarissimorum sumserit extrema oratione refutandas, hujus propositi oblitus, denuo tandem efficiat, quod jamjam erat demonstratum et ultimo cap. 16 claris verbis omnino peractum; præsertim quum neque gravioribus aut aliis, quam quæ jam allata erant, neque ad refellendas istas objectiones pertinentibus argumentis hoc loco res probetur.

Atque hæc quidem 6) magis elucescunt, si ea postremo spectamus, quæ sequuntur, "*Qvodsi auctoritatibus hanc causam, Qvirites, confirmandam putatis, est vobis auctor Servilius &c.*" in quibus ad institutum redit oratio, atque auctoritatibus Hortensii atque Catuli opponuntur contrariæ auctoritates Servillii, Curionis, Lentuli, Cassii. Hæc enim ad rem c. 22 inceptam, unde per istam interpolationem oratio

---

\*) Nam si v. c. cum vet. quibusdam editionibus legere malis "*videbat enim populus Romanus*" multo minus cum præcedentibus hoc cohæret, quippe in quo nulla omnino causa appareat, cur ora maritima Pompejum requireret.

deflexit, non ad ea, quæ de bello ad Pompejum deferendo atque omnibus uni credendis in textu vulgato proxime antecedunt, pertinere, & verbis quidem (c. 22) "aliquando isti principes et sibi et ceteris Populi Rom. universi auctoritati parendum esse fateantur", subjicienda esse, docet quum nexus et sententia loci, quo de rejiciendis principum auctoritatibus agitur, tum vel ipsa particula *Quodsi*, quæ ad rem diversi argumenti haud commode potuit referri. Omissis autem, quæ omitti absque ulla ullius sententiæ vel argumenti jactura potuerunt, recto se omnia et perspicuo excipiunt ordine, nec est, quod Ciceronem amplius impatienter feramus de rebus jam dictis alieno loco ac levi tantummodo verborum immutatione disputantem.

Quare si fortassis, ob quasdam suas dicendi vices, in editionibus non plane expungendus locus est, uncinis certe videtur includendus, ut lectori judicium relinquatur.

---

## IN CATILINARIA PRIMA.

Cap. 6. post verba: "*nihil agis, nihil assequeris*", legunt: "*nihil moliris, quod mihi latere valeat in tempore*", quæ jamdudum ab aliis notata, Beckius merito habuit suspecta, primum quod in codd. quibusdam plane desint, in aliis mire variantur; deinde quod non latina, certe non Ciceroniana sint *latere mihi et valere* pro posse; denique quod post "*nihil assequeris*" frigeant verba *nihil moliris* e cap. 3 extr. repetita, atque, his ejectis concinnior reddatur omnis oratio. Consentiet facile, etiam si haud mutatum hoc omnes codd. haberent, quicumque vel aliquem habet veræ latinitatis numerique oratorii sensum, videbitque unice verum esse "*nihil agis* (h. e. nihil efficis), *nihil assequeris, neque tamen conari ac velle desistis*". Neque enim barbara illa *quod mihi latere valeat in tempore* excidere ore Ciceronis unquam potuerunt, neque etiam *nihil moliris*, quod Goerenzius, Orellio teste, defendit, quod vero manifesto ex verbis cap. 3 "*nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas &c.*" huc est tr ductum, ferri ullo pacto potest, non modo quod vix ita perverso ordine verba junxisse Cicero putandus est, ut verbis *nihil agis, nihil assequeris*, subjiceret quod ante utrumque erat cogitandum, quum incremente orationis vigore esse deberet:

"*n. moliris, n. agis, n. assequeris*", vel potius, inversis prioribus, *n. assequeris n. agis, n. moliris*: verum etiam quod enunciatio "*nihil moliris*," nisi sequatur illud aperte falsum "*quod mihi latere valeat in tempore*", plane repugnat sententiæ. Quomodo enim is nihil *moliatur*, qui tamen *conari et velle* non desistat, nemo facile intelliget. Patet itaque, ex eadem manu profecta esse verba "*nihil moliris*", quæ sequentia adjunxit, frustra quæ alterum absque altero defendi.

## IN CATILINARIA SECUNDA.

Cap. 2. In loco "*Sed quam multos fuisse putatis, qui, quæ ego deferrem, non crederent?* [*quam multos, qui propter stultitiam non putarent?*] *quam multos, qui etiam defenderent?* *quam multos, qui propter improbitatem faverent?*" quantum aures statim offendunt quatuor membra, Ernestio tamen aliquid videtur excidisse, aut Ciceronem consulto variasse et tertium membrum simile fecisse primo, quartum secundo. At neutrum placet. Sive enim plura addidisset orator, molestiorem adeo redditurus fuisset verbositatem loci, jam secundo membro satis molestam; sive alternatim ita sibi respondentia fecisset membra, inepto sane atque putido videretur artificioso lusisse; quum præsertim nihil sit, in quo a sententia prioris differat alterum membrum, sed tria tantummodo hominum genera potuerint esse, a quibus sibi Cicero, si gravissimo Catilinam adfecisset supplicio, potuisset timere; nimirum ab iis, qui aut, quæ deferret, non crederent, aut hominem quasi injuriosius tractatum defenderent, aut denique propter improbitatem ei adeo faverent. Certe, si quartum esset, diversum esse in ejusmodi enumeratione a ceteris deberet, neque in alterutro eorum contineri. Accedit, quod præter *ταυτολογία* istam, desideratur etiam, *quid putarent* isti homines, quum non facile absque objecto poni possit verbum *putare*. Sed tollitur omnis ea difficultas, et recta ac solita Ciceronis concinnitate atque gradatione se excipiunt membra, si recisis, quæ uncis inclusimus, ita legamus:" *Sed quam multos fuisse putatis, qui, quæ ego deferrem, non crederent? quam multos, qui etiam defenderent? quam multos, qui propter improbitatem faverent?* Neque præterea obscurum est, unde immergere in textum illa potuerint, ex interpretamento grammatici cujusdam haud dubie nata, qui, quum membro extremo causam additam reperiret, cur Catilinæ multi

faverent, nominatim *propter improbitatem*, adnotandum etiam putaverit, *propter stultitiam* multos non credere, quæ Cicero deferret.

Cap. 3. Ejusdem generis sunt proximo capite verba "*ex rusticis decoctoribus*," quæ merito jampridem spuria censebat Heumannus, & ex interpretamento præcedentium "*ex agresti luxuria*," quæ ejusdem plane sunt significationis ac magis Ciceroniana, profecta. Laborat plerumque in tali enumeratione quartum membrum; quanto magis itaque debet offendere, si vel contra logices præcepta ab uno alterove ceterorum sensu non differat, et quum revera tria tantum sint, verbis tamen veluti quatuor proferantur.

### IN CATILINARIA TERTIA.

Cap. 10. "*Atque illæ dissensiones erant hujusmodi, Qvirites, quæ non ad delendam, sed ad commutandam rem publicam pertinerent; non illi nullam esse rem publicam, sed in ea, quæ esset, se esse principes, neque hanc urbem conflagrare, sed se in hac urbe florere voluerunt.*" Hæc si attente & contextum respicientes perpendimus, displicebit primum languida illa ac Cicerone indigna repetitio, qua primum dicitur "*atque illæ dissensiones erant hujusmodi*," sequente mox "*atque illæ tamen omnes dissensiones ejusmodi fuerunt*;" deinde ipsa rerum, de quibus istic agitur, ratio, a sententia et consilio auctoris plane discrepans, quippe cui non propositum fuerit, ut demonstraret, "dissensiones istas civiles rei publicæ minus interne-cinâ fuisse, quam hæc futura fuisset Catilinæ conjuratio" sed: "licet nulla earum rei publicæ exitium quæsiverit, non ita tamen, ut hanc conjurationem, esse sine civium interne-cione compressam." Quæ sententia clarissime exprimitur iis, quæ sequuntur: "*Atque illæ tamen omnes dissensiones, quarum nulla exitium rei publicæ quæsivit, ejusmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiæ*" (quod de conjuratione Catilinarum mox ostendit,) "*sed interne-cione civium dijudicatæ sint* etc. Accedit denique, quod particula "*tamen*" non nisi statim post commemoratas illas seditiones locum habere potuit, quum tamen, si recte interjecta illa essent, "*atque illæ dissensiones erant hujusmodi*" etc., continuari oratio deberet per particulam *sed* vel verbum *inquam*; non autem per "*atque tamen.*" Sed diligenter sententiæ nexum reputanti facile patebit,

glossatori tribuenda illa esse, qui, quæ sequuntur, verba: "*Atque illæ tamen omnes dissensiones, quarum nulla exitium rei publicæ quæsit,*" copiose sibi, et quidem duplici ratione, explicanda putaverit, altera: "*atque illæ dissensiones — pertinerent,*" altera: "*non illi nullam — florere voluerunt;*" ac deinde librariorum imperitia in textum, et quidem ante ea, quæ his explicantur, quum postea locus eis non esset, irrepsisse.

Leniorem quidem medicinam, præeunte Matthiæo, adhibere nuper tentavit Orellius, expungens tantummodo verba "*erant hujusmodi,*" quæ vero malum haudquaquam tollitur, immo vero augetur, quum, his ejectis, nihil omnino sit, unde pendeat subjunctivus "*pertinerent,*" sed recta oratione dicendum esset: "*quæ — pertinebant;*" quibus præterea adjungenda foret Ernestiana ratio, qui verba "*non illi — voluerunt,*" parentheseos signo includenda putavit, et sequens *tamen* pro *inquam* vel *igitur* accipiendum esse voluit; quæ quidem satis salebrosa oratio esset.

Denique Cap. 12, post verba: "*vestrum est, Qvirites, si ceteris sua facta, mihi mea ne quando obsint, providere,*" hæc occurrunt: "*Mentes enim hominum audacissimorum sceleratæ ac nefariæ ne vobis nocere possint, ego providi; ne mihi noceant, vestrum est providere;*" quæ nisi glossam sapiunt, e quidem nescire me fateor, quæ sit glossarum indoles atque indicium. Etenim non aures modo offendit verborum ista repetitio: "*vestrum est, mihi mea ne quando obsint, providere,*" et "*ne mihi noceant, vestrum est providere,*" copię atque latinitati Ciceronianæ, si quid video, plane repugnans: verum ipsius etiam sententiæ posterioris ratio, rem explicantis per se satis perspicuam, ut fieri solet in istis glossatorum annotationibus. Quapropter ea vel repugnantibus libris mss. existimo delenda.

---

*Sed hæc sufficiant, ut ex more prolusum sit spectationi alumnorum Lycei nostri publice instituendæ, cui ut frequentes et benigni adesse velint, si qui studiis nostris bene cupiunt, officiose rogamus.*

---

Den offentlige Examen i Roeskilde Kathedralskole for Aaret 1827, som Disciplenes Fædre eller Værger samt andre Ungdommens Velyndere herved indbydes til efter Behag at overvære, vil blive afholdt i følgende Orden:

	<i>1ste Værelse.</i>	<i>2det Værelse.</i>
	<i>Dimittenderne.</i>	<i>Stilprøver udarbejdes i</i>
D. 18 Sept. Formidd. 8-12.	Latin, Religion, Fransk.	Latin IV. og Dansk III.
Eftermidd. 2½-5½.	Arithm. Geografie.	Latin II. og Dansk I.
D. 19 Sept. Formidd. 8-12.	Latin IV.	Religion III.
Eftermidd. 2½-6.	Græsk III.	Dansk II.
D. 20 Sept. Formidd. 8-12.	Geometrie IV.	Latin II. u. Adj. <i>Stybe.</i>
Eftermidd. 2½-5.	Dansk III.	Latin I.
D. 21 Sept. Formidd. 8-12.	Religion IV.	Tydsks II.
Eftermidd. 2½-6.	Latin III.	Geografie I.
D. 22 Sept. Formidd. 8-12.	Arithmetik IV.	Latin II u. Adj. <i>Christensen</i>
Eftermidd. 2½-4.	Hebraisk IV b. og Iliaden IV.	Geometrie III.
4-5½.	Dansk I.	

	<i>1ste Værelse.</i>	<i>2det Værelse.</i>	
	<i>Dimittenderne.</i>	<i>Stilprøver</i> udarbejdes i	
D. 24 Sept.	Formidd. 8-12. Eftermidd. 2½-6.	Græsk, Iliaden, Historie. Tydsk, Hebraisk, Geometrie.	Latin III. og Dansk II. Dansk IV.
D. 25 Sept.	Formidd. 8-10. 10-12. Eftermidd. 2½-5.	Fransk IV. Historie III. Tydsk, IV.	Fransk II a.  2½-4 Fransk II b. 4-5 Religion I.
D. 26 Sept.	Formidd. 8-11. 11-12. Eftermidd. 2½-5.	Historie IV. Lat. Gramm. III. Tydsk III.	Arithmetik II a. I.  Græsk II a. Arithm. II b.
D. 27 Sept.	Formidd. 8-9. 9-12 Eftermidd. 2-5.	Hebraisk III. Græsk II b. Geografie IV.	Geografie II.  Religion II.
D. 28 Sept.	Formidd. 8-9½. 9½-12. Eftermidd. 2-5.	Græsk IV. Geogr. III. Historie II.	Fransk III.  Tydsk I. 4-5½ Historie I.
D. 29 Sept.	Formidd. 8-11.	Hebraisk IV a.	Arithmetik III.

D. 9 October Formiddag Kl. 10 bekendtgjøres Examens Udfald samt foretages Translocationen paa sædvanlig Maade.

Til Universitetet dimitteres følgende 7 Disciple:

1. *Frederik Wilhelm Theodor Bricka*, Søn af forhenværende Boghandler i Kjöbenhavn, *G. P. Bricka*.
2. *Morten Peder Hansen*, Søn af Hr. *H. T. Hansen*, Sognepræst til Snoldelöv og Thune ved Roeskilde.
3. *Christian Ludvig Erasmus Thomasius Bojesen*, Søn af Hr. *M. E. Bojesen*, Sognepræst til Lindelse paa Langeland.
4. *Lauritz Riber Blume*, Pleiesøn af Hr. *N. Blume*, Herredsfoged i Ramsøe og Thune Herreder ved Roeskilde.
5. *Jörgen Mouritz Quistgaard*, Søn af afgangne forhenværende Proprietair *J. M. Quistgaard* i Roeskilde.
6. *Georg Albrecht Koefoed*, Søn af Etatsraad og Bankdirektör *D. Koefoed* i Kjöbenhavn.
7. *Theodorus Nonus Gad*, Søn af Hr. *E. Gad*, Anden Præst til Roeskilde Domkirke.

Roeskilde i Sept. 1827.

*S. N. J. Bloch.*